

3163

C O D I C E S

3164

Mariae Virginis: nuper reformatum et Pij V. Pontificis Maximi iussu editum. A Calendario prae-

missio auratum hujusmodi Tetrastichon legitur:

*Terrigenas armis, Votis superare Tonantem:
Hac si Pancratico lex in agone placet;
Legitime gere quasitas Fernande Coronas,
Luctator coelo, Caesar humique potens.*

Et re ipsa in piissimi Principis *Ferdinandi II.* usu, et quidem, ut marginum vestigia testantur, adducto fuit sacrarum Precum hic Liber; non enim ei solum insunt, quae Titulus enunciat, sed *Officium B. V.* excipiunt *Officium Defunctorum*, *Psalmi* dicti *Graduales* et *Poenitentiales*, longaque *Litaniarum Series*, quas inter noto *Litaniae pro Germania ad Sanctos Germaniae.*

cum Patronum confraternitatis Augustae; unde in eam opinionem adducor, *Codicem* cum Bibliotheca *Fuggeriana* a. 1656. in Palatinam nostram transivisse, fuisseque antea in usu cuidam ex illustri illa Gente magnorum olim Virorum *Matre*, quem non vulgarem pietatem coluisse oportet, ut ex hoc ejus *Εγχειριδιω* discas.

DCCCCXXVI.

DCCCCXXV.

846 Codex membraneus lat. Sec. XVII. Folior. 173. 8. non una manu conscriptus Precationes pias in omnem Christiani hominis usum exhibet, quarum initium ducitur a diversis *Benedictionibus*. Has inter offendas *Formulam Domini* a *Jesu Maria Carmelitae*, *Antonii de Padua*, *Alexandri* cujusdam *Luciaghi*; ulterius deinceps *Orationem Francisci Seraph.* et *Ignatii*, ut ad oram adscriptum est, rhythmum: *Anima Christi sanctifica me &c.* unde scriptionis tempus colligas. *Fol. 37.* occurrit *Oratio ad Ambos SS. Patronos confraternitatis S. Vldaricum et S. Affram*, in qua *Civitatis Augustanae* mentio; item ad *S. Vldari-*

Codex chartaceus lat. Sec. 850 XVII. Folior. 423. 8. continet Pias *Meditationes* et *Preces*, quae eo solum nomine hic commemorari possunt, quod calamo unius e Praefectis hujus Bibliothecae Palat. olim conscriptae fuerint. Fuit is *Matthaeus Mauchterus S. T. D.* et ad *D. Stephani* Canonicus, qui a. 1651. in *Wilb. Rechbergeri* Archiatri et Bibliothecarii Caes. locum successerat, a. 1664. vivis exemptus, postquam uno ante mortem anno *Petro Lambecio* lampada tradidisset. Virum adprime pium fuisse praefens *Συλλογη* magno delectu curata loquitur; quem vero inter Literatos gradum tenuerit, aut quid emolumenti per ipsos 12. annos *Suppellectili* librariae, cui praeerat, ad-

3165

LITURGICI.

3166

adtulerit, in Decessorum Adversariis non reperio, nisi Bibliothecam *Fuggerianam Ferdinandi III.* jussu emtam ab eo, et *Augusta Vindel.* huc advectam excipias, qua de re *Lambecii T. I. p. 67.* edit. *Kollar. col. 139.* adiri poterit.

DCCCCXXVII.

- 857 Codex membraneus lat. Sec. XVII. Folior. 41. 12. titulis deauratis eleganter scriptus, Precatorius est continens: *Officium SS. Nominis Jesu cum adjunctis Orationibus, Officium S. Crucis* itidem cum Orationibus.

DCCCCXXVIII.

- 866 Codex membraneus lat. Sec. XVII. Folior. 105. 12. literis characteres *Aldinos* seu *Curfivos Italicos* egregie imitantibus, ut impressas credas, exaratus, auroque fulgidus inscribitur: *Viridarium Animæ ex Variis Authoribus Collectum. Anno Domini 1.6.7.4. die 7. Nouembris. Opera Stephani Zaręba, quem Polonum fuisse* autumo. Insunt porro praecipue: *Meditationes ex Augustino, Anselmoque lectae, Officium Immaculatae Conceptionis B. V. M. Precationes dictae Augustini ad Eandem, Officium de VII. Ejus Doloribus, Exercitia pro Sacramento Poenitentiae et Eucharistiae, Officiumque Defunctorum.* In usum *Principis* haec conscripta fuisse, et *Austriaci* quidem, fidem faciunt a *fol. 55.* Orationes *Regis*

aut *Principis, qui Populum regit et gubernat, item quibus foll. 30. p. 2. et 57. p. 2. S. Leopoldus Austriae Marchio colitur. At vero foll. 29. et 49. Princeps* hic ipso nomine proditur: *Ego Leopoldus.* Itaque *Εγγχειριδιον* istud curatum est anno imperii ejus sexto decimo. Quo anno quid Vir piissimus de Fastigio, in quo eum Deus collocarat, senserit, e Formula, quam adscribo, disce: *Omnipotens æterne Deus! agnosce et vide, quam timendis periculis pro officii mei conditione undique sim implicitus. Scio non esse mihi Dominum, sed seruitutem et officium. Scio, non bruta meæ fidei commissa, sed filios selectissimos, illoque Tibi charitatis vinculo conjunctos, ut pro ipsis te morti tradere non dubitaris. Quis ego sum, mi Deus! qui tanto officio satis faciam? Homo sum imperfectus et æger, falli et errare mihi facile. Populus tuus plurimus est, et in omni loco præsto esse qui possum? Quapropter, o Domine! Te supplex precor, da mihi sedium Tuarum assidricem Sapientiam, mitte illam de Coelis sanctis Tuis, et a sede magnitudinis Tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, et intelligam et sciam, quid acceptum sit apud Te, ne quid faciam vel in gratiam alicujus, vel in odium, sed secundum veritatem et justitiam sententiam feram. Amen.*

DCCCCXXIX.

- Codex membraneus lat. Sec. 867 XVII. Folior. 41. 12. nitidissime

T t 2

exa-